


Fragment of text from the adjacent page, showing several lines of handwritten script in a historical cursive hand. The visible characters include 'M', 'V', 'M', 'M', 'A', 'A', 'M', 'A', 'X', 'X', 'I', 'I'.





25. XV.

27  
Bl  
2020



ELEGIA  
CONTINENS NV-  
DAM HISTORIAM  
IMMERITAE PASSIONIS VNI-  
GENITI FILII DEI DOMINI NOSTRI  
SALVATORIS ET REDEMPTORIS  
IHESV CHRISTI:

SCRIPTA A  
BERNHARDO DE DAN-  
NENBERG, ANNO  
M. D. LXX.



WITEBERGAE  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO,  
ANNO M. D. LXX.


32

26.






COMPTON'S  
DAM HISTORIAM  
BERNHARDUS DE DAM  
ANNO M. D. LXX.



WITTE  
EXORDIAT JOHANNES  
CERAT  
ANNO M. D. LXX.



Fragment of text from the adjacent page, visible through the binding. Legible words include: "de", "an", "Post", "Epo".





REVERENDISSI-  
MO ATQVE ILLVSTRISSI-  
MO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO  
Christophoro, in causis spiritualibus Administratori  
Ratzeburgensi, Duci Megapolensi, Principi vetustæ  
gentis Henetæ, Comiti Suuerinensi, Domino  
Rostochij ac Stergardia, Domino  
suo clementissimo

S. D.

**P**LATONEM EXIMIVM PHILOSOP-  
phum incessanter Sophronis mimos v-  
traq; manu versasse, ac noctu sub pului-  
nari, ne longius à Sophrone abesset, ab-  
didisse, imo hos ipsos etiam sub capite iam de-  
functi repertos esse accepimus: cuiusmodi assidu-  
itatem & indefessam diligentiam nos, qui Chris-  
tiani perhiberi volumus, multo magis ad sacra-  
rum literarum lectionem piamq; meditationem  
adferre oportebat: siquidem illæ tanq; amoenis-  
simus hortus, varios flosculos cum de coloris pul-  
chritudine, tum de odoris præstantia quasi inuis-  
cem certantes vberrimè exhibent: quorum nito-  
rem ac fragrantiam gratissimam animæ saluti  
plurimum conferre, eamq; in medijs pauoribus  
& angustijs suaviter refocillare ac confirmare,  
atq; inprimis noxium Sathanæ foetorem, qui  
omni



omnibus ex tristi hoc exilio in coelestem patriam  
migraturis obstat, longissimè arcere experimur.  
Sed prolixum foret de his ordine pro dignitatis  
amplitude differere. Accedit quod ipsa vox  
diuina apud præstantissimum regem Salomo-  
nem nos ad idem studium inuitare videtur, vbi  
inquit: O viri, ad vos clamito, & vox mea ad  
filios hominum, Audite: Ab æterno ordinata  
sum antequam coelum, terra, abyssi conderentur,  
& adfui architectatrix: Ludo in orbe terræ &  
delitiæ meæ sunt hominum saluti consulere. Be-  
ati qui vias meas custodiunt &c. Sic diuina sa-  
pientia cunctos mortales inuitat: Hac tanta au-  
toritate qui non mouentur, duriores sunt omni-  
bus in Caucaſo scopulis. At nihilominus  
conspicamur quantus sit passim exulceratissimo  
hoc seculo tam Dei quam sacrosancti eius  
Verbi contemptus, quam horribilis securitas, vt  
verè acerbam illam querelam, quam rex coeli  
atq; terræ mouet apud Prophetam Iesaiam, nos  
etiam in præsentia vsurpare possimus. Audite  
ceeli, & auribus percipe terra, quoniam Domi-  
nus locutus est: Filios enutriui, & exaltaui,  
ipsi autem spreuerunt me, cognouit bos posses-  
sorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israhel  
autem me non cognouit, & populus meus non  
intellexit &c. Nec dubium est, quin pijs ani-  
mis deprauati huius temporis facies ingentem  
dolorem



dolorem pariat, præsertim cum velut è specula  
tristissimas tempestates ac conuassationes Eccle-  
siarum omniumq; rerum publicarum propter isti  
usmodi verbi diuini contemptum ac ingrati-  
tudinem impendere prospiciant: quæ nullo pacto  
commodius auerti posse videntur, quam vt serio  
pœnitentiam agentes ad lucernam illam, cuius  
regius Propheta Dauid mentionem facit, redea-  
mus, eam reuerenter amplectamur, ac prælucen-  
tem semper sequamur, h. e. vt scripta propheti-  
ca & Apostolica non modo magnificamus, ve-  
rum etiã accuratius euoluamus, omnemq; vitam,  
quantum per virium imbecillitatem fieri potest,  
ad ea conformare annitamur. Vt igitur cæte-  
ras bibliorum narrationes sæpè multumq; ex-  
pendere & relectitare vtile est: ita maximè hi-  
storiam immeritæ passionis ac gloriosæ resurre-  
ctionis vnigeniti filij Dei subinde cogitare piaq;  
mente recolere expedit: Idq; nunc temporis po-  
tissimum fieri debet, quo annum Paschatis fe-  
stum recurrens admonet nos sanctorum vulne-  
rum Christi, quibus totum genus humanum re-  
dimens in pristinam quodammodo libertatem  
asseruit ac Orci faucibus excussam æternæ bea-  
titudini restituit. Proinde quo & mihi tan-  
ta Saluatoris nostri beneficia & integram passi-  
onis historiam attentius considerandi occasio fo-  
ret, breuiter eam pro mea ingenij tenuitate nu-  
meris

A. iij. meris



meris astringere volui. T. vero C. Illustrissime  
Princeps hoc ieiunum meum carmen, nulla singu-  
lari arte tinctum, neq̄ Maronis vel Nasonis lucer-  
nam olens, veruntamē res arduas ac grauissimas,  
cunctisq̄ mortalibus salutare complectens dedi-  
care visum est, propterea q̄ nouerim C. T. à tes-  
neris annis diligentis, ad pietatem & timorē Dei  
institutam vere talem esse, quales Dauid reges &  
principes esse iubet, inquit: Et nunc reges intel-  
ligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite Do-  
mino in timore, & exultate ei cum tremore, Osci-  
lamini filiū zc. Hac etiā præcipue de causa Deus  
sapientissimus videtur C. T. non modo in vi-  
neam suā vocasse, sed etiā sublimiori ac digniori  
loco constituisse, ex quo reliquos operantes ob-  
seruet & vigilanter circumspiciat, an omnia sa-  
tis rectè gerantur, ac vinea Domini dextre cola-  
tur, quo deinceps fructum copiosum & multipli-  
cem progignat. Nec omnino dubium est sub-  
inde C. T. hanc curam exercere ac tor-  
quere, quomodo amplissimum sibi munus à Deo  
commissum foeliciter & ita administret, vt om-  
nia ad gloriam nominis diuini ac publicam vti-  
litatem dirigantur: ideoq̄ semper in conspectu  
esse admonitionem Diui Pauli, quæ extat in  
epistolis I. ad Timoth. 3. & ad Tit. 1. Consentane-  
um quoq̄ est. C. T. in hoc vnicè incum-  
bere, vt veram ac salutarem de Deo doctrinam  
vitæ integritate, morum sanctitate, viuis item  
virtutum



virtutum exemplis ornet, ac deinde Collegij nostri commodis remota proprii emolumenti suspitione fideliter seruiat, neque huic clementi sua protectione desit, & breuiter officium suum ita faciat, vt aliquando venturo illi iudici in nouissimo die de eo rationem reddere queat. Cumque sic C. T. osculetur filium, vt David ait, proculdubio ille vicissim C. T. osculum præbebit atque amantissime complexam in hac vita tandem etiam ad coelestem patriam ceu in amplexu suauis abducat, vt mortem ne quidem C. T. gustet, nec aliquam difficultatem itineris seu transitus ex hac miseriarum valle sentiat: quod ex animo C. T. optarim. Porro alia etiam ratio est, quæ hoc qualecunque carmen C. T. ascribere suasit: nimirum vt debitam cum animi tum voluntatis meæ subiectionem C. T. testatam relinquerem, meaque pariter in C. T. obseruantia significationem ederem. Quocirca Illustrissime Princeps C. T. hoc vile munusculum clementer quæso suscipiat, Ego interim orabo Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt C. T. regat, gubernet & defendat, diuque nobis incolumem seruet. Bene ac feliciter C. T. valeat. Datae Vuitebergæ 10. Martij Anno Domini 1570.

*ILLVSTRISS. C. T.*

*addictissimus*

*Bernhardus à Dannenberg.*



HISTORIA NVDA PAS-  
SIONIS FILII DEI SALVATO-  
RIS NOSTRI IHESV CHRISTI.

**M**OESta dies redijt, redijt lacrymabile tempus,  
Lux iterum summi plena doloris adest.

Qua PATRIS æterni post aspera vulnera GNATVS  
Affixus seuæ creditur esse cruci.

Omnia nunc reboent fletu, planctuq; frequenti,  
Triste sonet, si quid triste sonare potest.

Demite iam roseis florentiaserta capillis,  
Hippocrinisatæ demiteserta Deæ.

Temporibus non est præsentibus apta corona:  
Apta magis forsitanigra cupressus erit.

Spargite quæq; comas, indignos soluite crines,  
Nulla vos citharæ, nulla chorea iuuet.

Sæpius ex alto suspiria ducite corde,  
Tundentes tremula pœctora mœsta manu.

Flete creatorem celsi vos lumina cœli,  
Flere decet te Sol, te quoq; Luna decet.

O mare restagnans, ô tellus condite luctu  
Vultus: nam vester mortuus autor erat.

Si pia res vnquam fuit indulgere dolori,  
Iam quod homo merito lugeat omnis habet,

Quilibet aëreas querulis vlulatibus auras  
Impleat: & largis imbribus ora riget.

Imag.



Imag, conuallat singultibus ilia longis,  
Et breuiter lacrymis squallida cuncta sient,  
Hæc incredibilis lux est sibi conscia planctus,  
Quem satis effari lingua diserta nequit.  
Hinc, quia fert animus crucifixum dicere Ihesum,  
Deligo materiam, quæ mihi carmen erit.  
Et licet est nostris opus hoc non viribus aptum,  
Nec par incepto nostra Minerva suo:  
Attamen omnino diuino numine fretus  
Propositum statui linq̄ere nolle pium.  
Vere DEI FILI qui, cum nec terra nec vnda  
Extarent, fueras Christe benigne faue.  
Te duce conatus cedunt fœliciter omnes,  
Est duce te nobis inuia nulla via,  
Tu flatu tenerum cœlesti dirige pectus:  
Ordiam ecce tua non malè nixus ope.

Tempus erat, quando IHESV fecere magistro  
Quidam discipuli talia verba suo:  
En redeunt nobis Paschæ solennia festa  
Omnibus eximia laude vehenda pijs.  
Ergo vbi Paschalem tibi, dic, maectabimus agnum,  
Dic age quonam sit cœna paranda loco.  
Respondit DOMINVS gressu petat vnus & alter  
Vrbem, quæ Solyma est nomine dicta suo,  
Cum portam subient, homo prodiet obuius ipsis,

B

Qui

†



Qui vas subiecto vertice portat aquæ,  
Huius pervigili studio vestigia seruent,  
Et quò se tulerit, ritè sequantur eum,  
Ille ad quas rapidos passus direxerit aedes,  
Hæc eadem debent tecta subire quoq;  
Commonstrabit herus mox alta palatia diues,  
In quibus hanc Pascham me celebrare iuuat.  
Nec mora: discipuli celeres duo iussa capeffunt,  
Cunctaq; qua possunt, sedulitate parant.  
Iamq; cadente die CHRISTVS, reliquiq; ministrũ  
Omnes ad Solymas corripuere viam  
Ac vt iter versant ad dicta palatia tritum,  
Sic etiam subito limina prima tenent.  
Hic simulac mensæ discumbitur ordine longo,  
SALVATOR querulos edidit ore sonos:  
Iampridem tempus votis ardentibus opto  
Hoc, quo vobiscum mandere Pascha licet,  
Idq; prius, quam me gens ad tormenta maligna  
Mille trahens, manes cogat adire nigros.  
Nam posthac epulis fungar non amplius istis,  
Nec magis arenti gutture vina traham,  
Donec lux mundo spaciofo fulgeat illa,  
In regno PATRIS qua noua pocla bibam.  
Vix ea fatus erat, mappa præcingitur alba,  
Haurit & in peluim conditor orbis aquam,  
Dat pedibus multum sædatis ordine lymphas  
Linteo.



Linteoloꝝ simul tergere cœpit eos.  
Hic vbi iam Petrum Simonem tangeret ordo,  
Ocyus in talem soluit is ora modum:  
Tūne ministrares talis sordentibus vndam  
O pie P R A E C E P T O R, non ego id herclè sinam.  
I H E S V S ait, nescis Petre ô charissime nescis,  
Quænam causa subest, experiere breui.  
Si tibi non liquido plantas aspersero fonte,  
Haud posthac mecum cœlica regna petes.  
Hic simul ac sermo Petri percelleret aures,  
Inquit: C H R I S T E caput crura simulq̃ lauda.  
Reddit ad hæc Dominus, quorum sunt corpora munda,  
Lotio sola pedum perficiatur eis.  
Et iam vos sed non tamen omnes labe vacatis,  
Hæret adhuc aliquo corpore menda grauis.  
Hoc verò addebat, quia non erat inscius, à quo  
Perfida proditio sit metuenda sibi:  
Dehinc posuit peluim, mappamq̃, locumq̃ capeſsit  
Mitis vbi sermo fluxit ab ore suo:  
Discipuli nostis, quas partes ipse subiui,  
Et modo quod feci simplicitatis opus.  
Me consueuistis titulo decorare magistri,  
Nec quis in hoc nomen vos vagus error agit.  
Quod si P R A E C E P T O R vester non ingrauer ipse  
Affuso vobis tingere rore pedes,  
Vos etiam morem talem seruetis oportet,

B ij

Exem=



Exempli memores huius ubiq; mei.  
Dixerat : accepit panem confregit adorans,  
Et consecrauit, discipulisq; dedit,  
Sumite vos, inquit, deuoto mandite corde,  
Corpus credentes firmiter esse meum.  
Tum simul apprændit calicem, benedixit eoq;  
Ipsis exhibito talia voce tulit:  
Hic meus est sanguis, sacratum ducite poculum,  
Hic sanguis mundi crimina fœda piat.  
Et quoties sanctæ reddetis tempora mensæ,  
Tunc nostram memori uoluite mente necem.  
Sed tamen ô fidi (res deploranda) ministri  
Hic coram qui me prodere quærit adest,  
FILIVS herclè DEI, ueluti cecinere Prophetæ,  
Traditus indignæ mortis adibit iter,  
Ast homini cedit malè cuius proditur astu:  
Imminet æterna, & pœna perennis ei.  
His famuli auditis grauitè tristantur, & illic  
Gaudia nulla manent, sed fugitiua volant,  
Anxia continui, subit ipsis cura doloris,  
Ac tundit gelidus corporis ossa tremor,  
Ordine contantur cui tam temeraria mens sit,  
Hei facinus, DOMINVM perdere uelle suum.  
Postremo & Iudas : an ego sum chare MAGISTER,  
Insidias vitæ qui struit usq; tuæ,  
Aut qui te cupiat vitali lumine cassum,

Vera.



Vera DEI SOBOLIS, tute fateris, ait.  
Verum quod tentas, animoq; reuoluis, id ipsum  
Ne differ, longas nec quoq; nocte moras.  
Illa manent reliquis abscondita verba ministris,  
Nec satis arripiunt quid sibi iussa velint,  
AST PRAECEPTOREM credunt mandata dedisse,  
Ut coëmat Iudas hæc quibus esset opus,  
Illi ipsi quoniam commissæ pecunia soli,  
Ac pariter victus tradita cura fuit.  
Mox surgens Iudas scribarum tecta reuisit  
Continuaturus proditiõnis opus.  
Cumq; fames positis epulis exempta fuisset,  
Gratifica dicunt cantica voce DEO.  
Dehinc omnes tristes ad summa cacumina celsi  
Montis oliuarum corripuere viam.  
Hic varios miscent sermones inter eundum,  
Ante alios DOMINVS talia verba mouet:  
Hac offendiculum patietur nocte sub atra  
Quisq; mei causa: nam sacra scripta canunt,  
Percutiam vigilem pastorem durius, atq;  
Mæstæ nunc hinc nunc inde ferentur oues.  
Petrus ad hæc reddit, licet omnibus adferat hæc nox  
Scandala, nulla mihi CHRISTE colende feret.  
Quin imo obscuras tecum lubet ire sub vmbra,  
Et te quæq; manent, me quoq; fata premant  
Subycit at IESVS, me Petre ter ante negabis.

B ij

Nocte



Nocte hac, quam gallus bis dabit ore sonum.  
Sed Petrus nunquam contendit id esse futurum,  
Hoc omnes vno, protinus ore fremunt.  
Iamq; tenent hortum, iam limina prima subintrant,  
CHRISTVS vbi crebras fuderat ante preces.  
Mæsti sunt omnes, curas sub corde volutant:  
( Hei quantos casus hæc breuis hora tulit )  
Tunc ad discipulos RECTOR conuersus olympi,  
Hos in plorandos incipit ire sonos:  
Ab quanta anxietas mihi nunc in pectore surgit,  
Ab quantus quantus me modò mæror habet.  
Sistite quæso gradum vos, hicq; capeffite sedem,  
Nec somno molli languida membra date.  
Sed ne corripiat mala vos tentatio, semper  
Deuotis animis continuare preces.  
Dixerat: ad iactum lapidis diuellitur indè,  
Procidit in faciem ( prob dolor ) orat opem,  
O dilecte Pater, tua si diuina voluntas  
Fert, à me præsens transeat hora precor:  
Sed tuum ad arbitrium PATER OPTIME cuncta re  
Non mea successum, sed tua vota ferant. (mitto,  
His autem precibus repetitis sæpius, Eheu,  
Sudor per frontem sanguinolentus yt.

O genus humanum rigidissima pectora pone,  
Huc non sicca tamen lumina fige tua,

Asspice



Aspice quam macerent cœli tua crimina **R E G E M,**  
Aspice quam sanctum corpus ad ima premant,  
Aspice peccatum quam formidabile quamq;  
Ipsi sit summo res odiosa **D E O.**  
Discite mortales, mortales discite vosmet  
Parcius in quoduis præcipitare scelus.  
Dehinc iterum **D O M I N U S** placidis se gressibus offert  
Discipulis, omnes quos tenet alta quies.  
Ac ubi iam somnis excussi lumina tollunt,  
**C H R I S T U S** sic illos anxius alloquitur:  
Vos iuvat in tanto discrimine ducere somnos,  
Surgite, **S V P R E M O** soluite vota **D E O,**  
Et sese vertens ad Petrum talia fatur:  
Tu tua iam placido membra sopore rigas,  
Surgite, tempus adest, hominis quo **F I L I U S** orco  
Demittendus erit non patienda ferens.  
Surgite, quid lenti tandem cessatis, eamus,  
En procul haud, qui me tradere gestit, abest.

Iamq; dies cecidit, Phœbusq; sub æquore sese  
Mersit, nox cœlis humida præcipitat.  
Eccè viam Judas modò carpere suadet ad hortum,  
Mox Iudæa furens fertur in arma cohors.  
Pars ambas palmas prælongis fustibus armat,  
Pars tremulis hastis brachia subiiciunt.  
Pars etiam lateri rutilos accommodat enses,

B 4 Arden



*Ardentes gestat cætera turba faces.*  
*His alij multi simul agglomerantur inermes,*  
*Ac omnes hilares ingrediuntur iter.*  
*Obscuram flammis noctem funalia vincunt,*  
*Et varia miscent aera voce viri.*  
*Ast dederat Iudas hoc primus in agmine signum,*  
*Cum dictis usus perfidus hisce foret,*  
*Quem prius inuadam, cui basia tristia figam,*  
*Hic est, huic validas inijcitote manus.*  
*Iamq; propinquantes gressu viridaria tangunt,*  
*CHRISTVS cum famulis obuius iuit eis,*  
*Et quem tot telis quærant contatur, IHESVM*  
*Quem tulit oppidolum Nazaret, ore fremunt.*  
*Respondit Dominus, coram quem quæritis adsum,*  
*Hac prosternuntur voce potenter humi,*  
*Non secus ac rapido de cælo fulmine tacti*  
*Essent, sic omnes procubuere viri.*  
*Cumq; λόγῳ fuerat visum consurgere iussit,*  
*Quidq; velint iterum, corde tremente, rogat.*  
*Ingeminant illi responsa priora REDemptor*  
*Infert, sum IHESVS Nazaret ortus ego.*  
*Quod si me petitis, missas faciatis oportet*  
*Has, quæ sollicitæ me comitantur, oues,*  
*Sed quis vos agitat furor, aut insania quæso,*  
*Quod sumptis armis corripuistis iter?*  
*Sæpius in templo vobis præsentibus antè*  
*Pectore*



Pectore depromsi dogma salubre meo.  
Nec fuit horrifonis qui nos inuaderet armis,  
Aut collo inijceret vincula dura meo.  
Ast hæc hora, mei qua vobis facta potestas,  
Hæc hæc à vobis sæpe petita dies.  
Dixerat: in Iudam gens lumina fixa tenebat,  
Expectans signum, quale daturus erat.  
Improbus è denso se proripit agmine: CHRISTVM  
Affatur blandè, virus at intus habet.  
Heus, inquit, salue P R A E C E P T O R, & oscula libat,  
Oscula quæ testis proditionis erant,  
Rex ait æternus, quæ te causa attulit ad me,  
Siccinè tradendus visus amice tibi,  
Irruit eccè cohors & circumfunditur armis,  
Hei D O M I N I palmas implicuitq; comis,  
Ac simul inflixit crepitantia verbera dorso,  
Dehinc collo funes imposuitq; sacro.  
Eheu quis poterit lacrymis æquare laborem,  
Cætera quis sicco lumine commemoret?  
Hic tum discipulos sæuus circumstetit horror,  
Pars sua veloci terga dedere fugæ,  
At Petrus subito vagina liberat ensen,  
Et nudum gladium, fertur in agmen habens,  
Aggressusq; ferox Malchum molitur in eius,  
Viscera mucronem condere crassa suum.  
Sed manibus dubijs errantibus abstulit vnam

C Aurem



Aurem duntaxat, sanguine vulnus hiat.  
Ab quæ Petre tuam rabies tenet impia mentem  
I H E S V S ait, quis te præcipitatûe furor?  
Quin potius gladium vaginæ redde fouendum,  
Nam ferro pugnans, mittitur ense neci.  
An non D I L E C T I mandatam P A T R I S obibo,  
Quod me suprema traxit ab arce poli?  
Quòd si, crede mihi, res armis esset agenda,  
Hoc turmas cælum funderet angelicas.  
Finierat: terra præcisam subleuat aurem,  
In propria rursus quò statione locet.  
Ast hæc nil populum prorsus benefacta mouebant,  
Pectora (proh) saxis asperiora gerunt,  
Caucasus hanc gentem genuit de cautibus horrens,  
Et lactauerunt vbera Tigris eam.  
Eccè trahunt D O M I N V M (dictu miserabile) vincitum.  
Hei post terga manus, brachia vincla premunt.  
Inter ducendum certant illudere capto,  
Et certant alapis duriter afficere,  
Iamq; triumphantes tendunt ad tecta Tyranni  
Annæ inter scribas qui loca prima tenet.

Petrus, vt indignè tractari vidit I H E S V M  
Ex imo gemitus corde subinde trahit,  
Cumq; Iohanne pio, captus formidine longè,  
Subsequitur, quò gens cæca furare ruit,

Vtq;



Vtq̄ tenent ædes, ædes clamore replentur,  
Sistitur hîc D O M I N V S præsulis ante pedes.  
Æ T E R N V S coram mundano iudice iudex  
Sistitur: iniusti iustus ad ora venit.  
Veracem mendax, & iniquus iudicat æquum,  
Inq̄ D E V M mortis crimina torquet homo.  
Cum reliquis socius Petri se corripit intrò,  
Custodi vigili qui bene notus erat,  
Inq̄ domum recipi dictis vrgentibus instat  
Simonem, cui aditum ianua clausa vetat.  
Huic intromisso sic portitor inquit, I H E S V  
Huius eras etiam tu comes: ille negat.  
Porrò ministrorum stipata frequentia stabat  
In media fermè conspicienda domo,  
Frigus & à rigidis arcebant artubus igne.  
His sese focium iungere Petrus abit.  
Interea Præsul, solium conscendit vt altum,  
C H R I S T V M doctrinam, discipulosq̄ rogat.  
Quid me quæris, ait, iustissimus arbiter orbis,  
Continuè docui, differuiq̄ palam.  
Non mea desertum vox nec pulsavit inanem  
Aëra, nec latebras quærere cura fuit.  
Imò sæpè meo reboarunt dogmate templa,  
Quò tua gens gressum ferre subindè solet,  
Hanc perconteris, iubeas hanc ferre sub auras  
Doctrinam sanctam, quam mea lingua sonat

C ij Dixerat:



Dixerat: hei miles surgit sceleratus, & illi  
Infringit colaphum, talia voce fremens,  
Siccine responsum summo das improbe I H E S V  
Pontifici: mitis reddidit agnus ei,  
Attestare, meo si quid male venit ab ore,  
Sin verum dixi, me quid amice feris.  
Dehinc D O M I N V M rapiunt Anna mandante ligatum  
Ad Caipham, qui tunc vaticinatus erat.  
Vaticinatus erat, quod pro non sospite plebe  
In rapidos vnum praestet abire regos.

Stans iterum torres seruatorum turba fouebat,  
Cuius & infelix portio Petrus erat.  
Quaeritur hic rursus, num sit suus iste magister,  
Ille pauore graui pressus it inficias,  
Iamq; canit gallus, post alter protinus infit,  
Reuera I H E S V tu comes vnus eras,  
En ego te vidi, quando commotus in horto  
Nostro cognato vulnera certa dares.  
Acrius ille negat, nec non sibi dira precatur:  
Mox iterum gallus reddidit ore sonum.  
Tunc C H R I S T V S Petrum tristis respexit, & illi  
Mentem, quod D O M I N V S dixerat ante, subit.  
Egrediens igitur lacrymarum flumina mittit,  
Et vellit crines, vngue notatq; genas.

Interea



Interea Caiphas falsos insurgere testes  
In SALVATOREM, iure vetante, facit.  
Ast hi non eadem, sed diuersissima spargunt,  
Et præter fictum decidit ore nihil,  
Tandem profiliunt etiam testes duo iniqui,  
Talia iactantes gutture vaniloquo,  
Aures accessit nostras, hunc diruta templa  
Velle iterum terno constituisse die.  
Sed nil respondens agit alta silentia CHRISTVS,  
Nam furiosa cohors non nisi falsa fremit,  
Tum Caiphas surgens vrget per numina cœli,  
Vt dicat, num sit sancta PROPAGO DEI.  
Reddit ad hæc IHESVS sum, meq̃ videbitis ex hoc  
Ad dextram PATRIS prima tenere loca.  
Hæc fatus, frendet Caiphas, scinditq̃ cucullum,  
Exclamans illum iam meruisse mori,  
Nox erat: & somnum nunc carpere quisquis abibat,  
At nulla fruitur NOSTRA quiete SALVS,  
Ipsius faciem serui velamine tectam  
Pugnis contundunt (proh dolor) vsq̃ feri,  
Diuinare iubent quisnam percusserit illum,  
Aut quis in ipsius miserit ora manum.  
Præterea sputo frontem (res impia) tingunt,  
Et miseré lacerant vngue trabuntq̃ comas,  
Hei mihi qualis erat, quantum diuersus ab illo  
CHRISTO, qui Solymas plebe canente petit.

C ij Vtq̃



Vtq̄ diem Titan mœstum produxit ab axe,  
Rursus adest (si Dis sic placet) ordo sacer,  
Ac rapit illusum sputis & risibus agnum,  
Funeq̄ ceu furi colla sacrata ligat.  
Dehinc ad crudelis trahit ipsum tecta Pilati,  
Ac tantus sequitur clamor, vt astra petat.  
Ast plebs indulgens ferijs Paschalibus omnis,  
Horret in immundam Præsulis ire domum.  
Ante fores ergo bifidas vestigia pressit,  
Ne sua turbaret provida turba sacra.

Vtq̄ videt mortem Iudas incumbere I H E S V,  
Corripitur cura, mœstitiaq̄ graui.  
Quæ nunc, exclamat, tellus aut æquora possunt  
Me me infœlicem (proh scelus) accipere,  
Et quid tam misero misero mihi deniq̄ restat,  
O terra absorbe corpus aperta meum.  
Hæc ita conquestus, templum petit anxius, atq̄  
Argentum Scribis projicit ante pedes,  
Ah quod atrox, inquit, commisi crimen, I H E S V M  
Prodens, in cuius non fuit ore dolus.  
Atq̄ sacerdotes referunt, tu videris illud,  
Nequicquam nos hæc cura molesta grauet.  
Tunc abijt Iudas, laqueoq̄ abrumpere vitam  
Decreuit, tantus triste cor angor habet,  
Ac simul ac animam fudit discerpitur aluus

Cunctaq̄



Cunctaq; per terram viscera sparsa fluunt.  
Pontifices autem sub pectore multa maligni  
Versantes, sumunt æra relata sibi,  
Ac, ubi condantur peregrini corporis ossa,  
Istis consultò iugera ruris emunt.

Pontius interea clamores auribus haustos  
Miratur, properans egrediturq; domo.  
Quemq; trahat vinctum populum rogat ore frementem,  
Et quæ patravit facta nefanda miser.  
Turba superba refert, si non hic improbus esset,  
Ante tuos oculos nemo tulisset eum.  
Ad pœnas ergo vos illum, Pontius inquit,  
Poscite: lex veluti tradita vestra iubet.  
Reddit inops mentis plebs, nos excludere vita  
Non fas est quenquam, nec quoq; iura sinunt.  
Tunc I H E S U M ducens subijt prætoriam Præsul,  
Ac ad eum versus talia dicta dedit:  
Tu Iudæorum R E X es, mihi vera fatere  
Quærenti: mitis pauca renarrat ovis,  
An coniectura quadam tu colligis istud,  
Aut ex alterius voce loquentis habes?  
Præsul ait, non sum Iudæo sanguine cretus:  
Gens tua te rabido tradidit ore mihi  
Dic agè quòd tantum facinus commiseris audax,  
Dic quàm patraris grande malumq; scelus.

Vera



*V*ERA DEI SOBOLES in fit, si regia nostra  
Staret in hoc mundo marmore conspicua,  
Multa mei pro me tentarent praelia serui,  
Quo non Iudæis præda petita forem.  
Ast à terrenis mea diuersissima regna  
Sunt: ergo regnum, Pontius inquit, habes.  
Agnus ait, sum rex, & ob id productus in orbem  
Ut uerum passim, me referente, sonet.  
Rectum quisq; colens, & seruantissimus æqui  
Sermones auida percipit aure meos,  
Tunc quid sit uerum rogat ipse Pilatus, & exit  
Turbam compellans uocibus hisce feram,  
Non hoc in iusto crimen deprænditur ullum,  
Eius aperta nihil pectora fraudis habent,  
Ast uesana manus proclamat fauce nephanda,  
Hunc misera reprobum morte perire decet,  
Duxit in errorem Galilæa per oppida vulgus,  
Præstigijs soluit sabbata nostra suis.  
Edoctusq; quod ex Galilæa traxerat ortum,  
Prætor, ad Herodem ducere iussit eum.  
Nec mora: corripunt funem, per saxa per undas  
Hei DOMINVM rursus gens recutita trahunt.  
Utq; tulit rumor uelox Herodis ad aures,  
IHESVM uenturum sub sua tecta breui,  
Corde uolutauit tacito noua gaudia, namq;  
Poscebant ipsum iam sua uota diu,

Speq;



Speꝝ tenebatur vana, miracula quaedam  
Se fore visurum, digna stupore graui.  
Obuius idcirco procedit, & excipit illos,  
Se COELI REGI regulus addit inops,  
Quærit & ex ipso studiosè plurima: Verum  
Non responsa DEIFILIVS vlla dedit.  
Tunc lupus immanisludibria iactat in illum,  
Et CHRISTI niuea corpora veste tegit.  
Sicq̃ reducatur, dat seria iussa, Pilato,  
Cui tunc Herodis gratia chara redit.  
Fœdus amicitiaꝝ quoniam lis ruperat antè,  
Ac vehemens odium mouerat inter eos.  
At Iudæa cohors Lybicus truculentior vrsis,  
Alta ad præfecti tecta reflectit iter.  
Pontifices cernens rabidos rediisse Pilatus,  
Iratuꝝ tales misit ab ore sonos:  
Hunc vos constrictum vinclis adducitis ad me,  
Cum sceleris minimè conscia corda gerat.  
Ecce nec Herodes quicquam deprændit in illo,  
Quod pœna dignum deteriore fiet,  
Moris at est vnum dimittere tempore Paschæ:  
Si vultis IHESVS crimine liber eat.  
Altius exclamant, Barabas persoluere debet  
Hunc morem: Barabas raptor iniquus erat.  
Sed furor inualuit, plebs non tractabilis vllis  
Dictis est, aures obstruit vsq̃ suas.

D

Pontius



Pontius ergo volens tantos sedare tumultus,  
Agnum cadendum tradidit ipse lupis.  
Hei mihi quam miserè lacerant venerabile corpus  
Virgis: erumpit sanguis ubiq; sacer.  
Nec satis hoc: Verùm sancto quoq; spineaserta  
Inijciunt capiti, stillat & inde cruor.  
Posthæc dextra manus completur arundine longa,  
Puupura circumdat membra cruenta Coa,  
Inde salutatur rex Iudæe poplite læuo  
Cum risu flexo, percutiturq; caput,  
Sputo polluitur, colaphis (lacrymabile visu)  
Crebrò pulsatur, distrahiturq; comis.  
O homo verte tuos oculos huc, aspice CHRISTI  
Corpus, tu tanti causa doloris eras.  
Aspice concretos in vertice sanguine crines,  
Collaq; non dignis sanguinolenta modis.  
Aspice sancta caput fundens super ora cruorem,  
Deniq; lustrato pectus adusq; pedes,  
Nil non plorandum, nil non miserabile cernes,  
Tantæ molis erat nostra piare mala.

Egrediente autem fœdato sanguine IHESV,  
En homo, REX vester, Pontius infit, hic est.  
Plebs furit, & voces mittens ad sidera clamat,  
Tollas hunc tollas subijciasq; neci,  
Præfectus reddit, vestrum mittemus ad vmbra  
Regem



Regem pallentes: turba maligna refert:  
Non rex est nobis, non rex, nisi caesar & eius  
Nos omnes ampla sub ditione sumus.  
Tollere fas est hunc, fas est hunc tollere: namq;  
Iamdudum meruit morte perire crucis.  
Utq; magis vidit iudex feruere furorem,  
In Gabatha residens, lauit vtramq; manum,  
Non reus, exclamat, iusti sum sanguinis huius,  
Hic mala VERIDICVS nulla patrauit HOMO.  
Sidera nunc testor, me cogi vertere sanctum,  
Ius, vos ista viri liuida cura coquat.  
Mox Pharisæa vomit cum vulgo fulmina turba,  
Inq; suam sobolem, & se malefacta citat.  
Post à præfecto sententia fertur, I H E S V S  
Ad montem tra'itur nomine Caluariam.  
Dumq; moras rumpūt, refricatur vulnera CHRISTI,  
Sacratō rursus sanguine membra madent.  
Hei nil parcit ei gens immaniſſima, tergo  
Imponit fesso robora magna crucis,  
Vnde graues agnus fert ad sua funera gressus,  
Atq; tenet multo vulnere tardus iter.  
Flens illum sequitur mulierum magna caterua,  
Imbre per humentes sæpe fluente genas.  
CHRISTVS ad has versus, soluit sic ora beata,  
Non deploretis tristia fata mea.  
Quin potius propter vos ipsas ducite fletus,

D ij Et



Et propter vestri pignora chara tori.  
Namq̄ diem Phæbus reuehet nitidissim illumus,  
Quo talis rumor sparsus vbiq̄ sonet,  
Fœlices nimium matres sunt, terq̄ beatæ,  
Quæ semper steriles vbera sicca fouent.  
Tunc occurrit ijs homo simplex nomine Simon,  
Ferre REDEMPTORIS cogitur iste crucem.  
Deuenero locum, locus ossibus vndiq̄ plenus,  
Cruce illic duro sternitur alta solo,  
Iniciturq̄ super detracta veste supinus  
IHESVS, & extendit crura manusq̄ lupis.  
Absacros terebrant artus ( miserabile dictu )  
Et clavis figunt saucia membra cruci,  
O dolor, ô pietas, statuunt hunc inter iniquos  
Latrones : non his annumerandus erat.  
Porro cruci titulum superaddidit ipse Pilatus,  
Dum satis expresse talia verba notat,  
IHESVS REX IVDÆORVM qui NAZARET  
Id legens minimè gēs rabiosa probat, ( ORTVS  
Inquit enim, Regem nostrum hunc inscribere noli,  
Sed quod se Regem fecerat ipse miser.  
Pontius at reddit, maneat sententia scripta,  
Non ego mutabo verba notata semel.  
  
Iamq̄ cruentatus pendeat in arbore CHRISTVS,  
Sæua cohors eius diuidit exuias.

Vnica.



Vnica sed vestis per totum texta iacebat,  
Hanc ire in partes iudicat esse nefas,  
Mittitur idcirco fors, cui contingat habere  
Illam, fortuna qui tribuente ferat.  
Tunc veniam voto Iudæis supplice poscens  
IHESVS, ijs inquit, cuncta remitte PATER.  
Non etenim norunt, quid commiserunt, vel in me  
Peccarunt: mentem tanta caligo tenet.  
Stabat & à longè DOMINI mæstissima mater,  
Quæ sua tundeat pectora sæpè manu,  
Nec non vellebat ruptos in fronte capillos,  
Iamq; suæ vitæ nescia prorsus erat.  
Hanc simulac CHRISTVS vidit pariterq; Iohannem  
Dixit, hic est mulier gnatus amorq; tuus.  
Post ad discipulum loquitur, solatia matri  
Redde tuæ, quæ nunc multa dolenda tulit.  
Vix haustis gnati verbis collabitur illa  
Ad terram, nullum corpore robur inest.  
Ocyus accurrit, terra releuatq; Iohannes  
Matrem, demulcens mollibus vsq; sonis.  
Tum DOMINVS recolens, de se quæcumq; Prophetæ  
Præcinuere diu: me sitis vrget ait.  
Porrigitur mixtum fel aceto protinus ipsi,  
At gustans fugit os pocula amara sacrum.  
Circumstans vero populus ludebat IHESVM,  
Erige nunc terno diruta templa die,

D

ij

Serua



Seruaſti multos alios, quoq; ſcandē repente  
De cruce iam, ſi ſis ſancta PROPAGO DEI.  
Inſuper & latro pendens à parte ſiniſtra,  
Cum magna voces impietate vomit:  
Si DEVS es, cur non diuina potentia vires  
Exerit ad mortis fortia tela ſuas?  
Arguit hunc alter: nec adhuc reuerentia Diuūm  
Vlla, timorq; Dei te cohibere queunt,  
Nos equidem ferimus pro factis præmia digna,  
Hic ſibi non ſcleris conſcius eſſe poteſt.  
Dehinc SALVATORI fatur, cum regna reſoſcent  
Te tua REX SVPERVM, ſis memor oro mei.  
CHRISTVS, nos ambos hodie Paradifus habebit,  
Reddit, vbi letus gaudia mille feres.  
Tunc tres integras horas Sol ſubtrahit orbi  
Lumen, & in vultu fuſca nigredo ſedet,  
Finditur & velum templi, fera ſaxa debiſcunt,  
Ac homines viuos multa ſepulchra vomunt.  
Aſt hora nona: DOMINVS ſic ora reſoluit,  
O Deus ô cur me deſeris vſq; meus.  
Subiungitq; meum PATER OPTIME ſuſcipe flatum,  
Et linquens corpus Spirituſ aſtra petit.  
Quod cernens dictis aures Centurio complet  
His: fuit haud dubiè FILIVS ILLE DEI.

Vtq; elapſa dies, Arimathide venit ab vrbe

Iosephus





Iosephus, quo vix iustior alter erat.  
Hic inter Patres conscriptos solus adhæsit  
Discipulus I H E S V dogmata sancta colens.  
Ille sui D O M I N I de ligno tollere corpus  
Cum multis lacrymis, iudice dante, parat.  
Nec procul inde sibi speciosum vendicat hortum,  
Hic tumulus præstans extitit artis opus,  
Cui vario unguento myrrhæq; liquoribus uncta  
C H R I S T I defuncti membra fouenda dedit.  
Inde resurrexit, cum vix dimouerat umbras  
Tertia lux, V I C T O R clara trophæa ferens.  
At mea spectatum iam iam tenet anchora littus,  
Hic ornata minus fige Camæna pedem.  
Magnificos alij celebrent meliore triumphos  
Carmines, quos clarius dexter Apollo fouet.  
Vere D E I F I L I toto tibi pectore grates  
Nunc ago, quod facilis flauerit aura mihi.  
Dico tibi grates etiam, quod in arbore pro me  
Solueris irato debita λύτρα P A T R I,  
Cruce tua cruce nostros cruciatus sustulit omnes  
Mors tua mors vitam restituitq; pijs.  
Ergo C H R I S T E tibi cum P A T R E & F L A M I N E  
Gloria, laus & honor tempus in omne fiet. Sancto

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines.

Fragment of text from the adjacent page, visible on the left edge of the binding. The text includes the words "Pot" and "Epo" on separate lines.





Be 231

8

Di.

ULB Halle 3  
002 690 756



56.


VD77











25. XXV

27  
Bl  
2020



ELEGIA  
CONTINENS NV-  
DAM HISTORIAM  
IMMERITAE PASSIONIS VNI-  
GENITI FILII DEI DOMINI NOSTRI  
SALVATORIS ET REDEMPTORIS  
IHSV CHRISTI:

SCRIPTA A  
BERNHARDO DE DAN-  
NENBERG, ANNO  
M. D. LXX.



WITEBERGAE  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO,  
ANNO M. D. LXX.

32

26.

